

ENCOMION

Atque parem superis facient: Heroibus olim
Antiquis, similemq; suis Maioribus aequum.

Noriberga &
Reütlinga pri-
ma ciuitates E-
uangelicae fue-
runt. Anno 1518.

ERGO iterum Reütlinga bono tu principe gaude
Defensore tuo fruere, & tutore benigno,
Viginti quoniam LVDOVICI Principis anni
Elapsi dudum, quibus hanc susceperat urbem,
Saluificam qua prima fidem super orbe recepit
Cum Noribergensi fuit vrbs Reütlinga secunda,
Quae se Euangelicam Sueuo super orbe vocauit
Atque repurgatam caelesti voce Lutheri
Doctrinam coluit, magna & cum laude tenebit
Dum iuga montis Achel: fluuios dum piscis amabit,
Donec & in nostram labetur Acharius urbem.

Descriptio Tur-
ris & Templi
Reütlingensis.

In medio surgit praecelso culmine TVRRIS
Sublimis, constans duris firmissima saxis
Et templo coniuncta sacro, specula alta, boantem
Quae campanarum sonitum dispergit in auras:
Circuitu gemino, calatis undique saxis,
Illustris tenui TVRRIS perflabilis aura.
Angelus auratus pinnacula continet alta,
Atque crucis signum, dispeßis signifer alis.
Angelus ut domini nostram custodiat urbem
Significans, turrinq; sacram, templumq; sacratum.
Si placet è priscis annalibus ordine dicam,
Tempore quo cæptum fuerit venerabile templum
Et qua de causa positum, Mariæq; dicatum.

Fundatio & ex-
tructio Templi
D. Mariae fuit
An. 1247.

Mille, & ducentos Christus numerauerat annos,
Atque quater denos septem simul adde minores
Rex fuit Henricus Thuringæ septimus oræ
Landgravius quondam Romano electus in orbe
Cinxerat hic Vlmam munitam mænibus urbem
Obsidione graui, numerofo & milite presit:

Sed